


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

VARIA

57. « Exstant in hac dioecesi plura monasteria monialium. Pro nonnullis, superiores maiores statuerunt, ut dum celebratur Missa, crates aperiantur, quo moniales sacros ritus melius participare possint. Quae ritur utrum fas sit hanc normam extendere ad omnia monasteria, sive iuris dioecesanī, sive iuris Pontificii ».

Resp.: Res pertinet ad Sacram Congregationem de Religiosis, cui transmittenda est quaevis petitio ad indulta petenda.

Constat tamen Sacram Congregationem de Religiosis, his in casibus, de more, suggerere ut ad participationem liturgicam faciliorem reddendam, moniales ita disponantur ut omnes sacros ritus conspiciere possint, qui ad altare peraguntur, fenestellis, si quae sint, apertis, vel velariis e cratibus demptis; velis quoque e vultu sibi sublati, si a populo non videntur.

De « interpretationibus ».

In « *Ordinario Missae* » sicut in tota liturgia, inveniuntur aliquando formulae mixtae in persona plurali et in persona singulari. Haec varietas explicatur sive ex rationibus historicis, sive ex eo quod formulae sunt textus biblici, qui nequeunt mutari. Cum tales textus momentum habeant pro tota Ecclesia, et non tantum pro una alterave regione, instauratio generalis statuet an mutandi, substituendi vel omittendi sint, vel quanam et quonam modo mutationes sint faciendae. Pro momento textus receptus fideliter tenendus et in linguas vernaculas vertendus est. Ita, exempli gratia, textus biblici: « Ad Deum qui laetificat iuventutem meam », et « Domine, exaudi orationem meam » haud verti possunt quasi dicerent: « iuventutem nostram, orationem nostram ».

Idem dicendum de verbo Credo, quod nullo modo lingua vulgari reddi potest, quasi legeretur Credimus: esset mutatio conceptualis de qua iudicare et statuere debet « Consilium ».

Haec suo tempore communicata sunt officii, quorum directe intererat. Cum admiratione proinde legitur in HODIE, Boletín del Secretariado Nacional de Liturgia (Hispania), a. IV, 1965, num. 17, p. 70, « Creemos: Solicitudes en este sentido ya han sido elevadas ante el « Consilium » »; et in Nota 1: « Aunque posteriormente el « Consilium » ha enmendado el singular alguna traducción de otra lengua, la castellana conserva el plural ». « Consilium » nullam aliam interpretationem emendavit, quia nulla alia lingua emendatione egebat.

Ite, Missa est

Versiones populares a Coetibus Episcoporum approbatae

a) Lingua anglica:

Go, the Mass is ended (Civitates Foederatae Americae Septentrionalis, Canadia, Nova Guinea, Australia).

Go now; this is the dismissal (Anglia-Cambria).

Go, you are sent forth (alibi).

You may go. The Mass is ended (Scotia).

Go in peace and the Lord be with you (Nova Zelandia).

Nulla translatio: Hibernia.

b) Lingua gallica:

Allez, dans la paix du Christ.

c) Lingua germanica:

Gehet hin in Frieden (Germania). Gehet hin, ihr seid enlassen (Helvetia).

Gehet in Frieden (Austria).

d) Lingua hispanica:

Podéis ir en paz (CELAM, Hispania).

La Misa se ha celebrado (Argentina, prima versio).

Hemos celebrado la Misa (Argentina, secunda versio).

Idos: la misa ha terminado (Chilia).

Podéis ir en paz, la Misa ha terminado (Mexicum).

e) Lingua italica:

La Messa è finita: andate in pace.

f) Lingua lusitana:

Ide em paz. E o Senhor vos acompanhe (Brasilia, Lusitania).

g) Lingua neerlandica:

Gaat nu allen heen in vrede.